



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXXXII. ad annum CCCCLI.

**Parisiis, 1644**

V. Captivis, aut terrore, aut fame, non veneratione, cibos immolatitios edere compulsis, poenitentia concedenda est.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14584**

ad viros suos nolunt, impiæ habendæ sunt, ita illæ, quæ in affectum initum ex Deo redeunt, merito sunt laudandæ.

## V.

De his autem Christianis, qui inter eos, a quibus fuerant captiuati, immolatiis cibis asseruntur esse polluti, consultationi caritatis tuæ hoc etiam respondendum esse credidimus; vt pœnitentiæ satisfactione purgentur, quæ non tam temporis longitudine, quam cordis compunctiōne pensanda est. Et siue hoc terror extorserit, siue famemes suaferit, non dubitetur abolendum, cum huiusmodi cibus, pro metu aut indigentia, non pro religionis veneratione sit sumptus.

## VI.

His vero, de quibus dilectio tua similiter nos credit consulendos, qui ad iterandum baptismum vel metu coacti sunt, vel errore traducti, & nunc se contra catholicæ fidei sacramentum egisse cognoscunt, ea custodienda est moderatio, qua in societatem nostram non nisi per pœnitentiæ remedium, & per impositionem episcopalis manus, communionis recipiant vnitatem; tempora pœnitentis, habita moderatione, tuo constituyente iudicio, prout conuersorum animos perspexeris esse deuotos, pariter etiam habens senilis ætatis intuitum, & periculorum quorumque aut ægritudinis respiciens necessitates, in quibus si quis ita grauiter vrgeatur, vt dum adhuc pœnitet, de salute ipsius desperetur, oportet ei per sacerdotalem sollicitudinem communionis gratia subueniri.

26. q. 7.  
Tempora  
pœnitenti-  
nis.

## VII.

Nam hi qui baptismum ab hæreticis acceperunt, cum baptizati antea non fuissent, sola inuocatione Spiritus sancti per impositionem manuum confirmandi sunt, quia formam tantum baptismi sine sanctificationis virtute sumpserunt. Et hanc regulam (vt scitis) seruandam omnibus ecclesiis prædicamus, vt lauacrum semel initum nulla iteratione violetur, dicente Apostolo: *Unus Dominus, vna fides, vnum baptisma.* Cuius ablutio nulla iteratione temeranda est, sed (vt diximus) sola sanctificatio Spiritus sancti inuocanda est: vt quod ab hæreticis nemo accipit, a catholicis sacerdotibus consequatur. Hanc autem epistolam nostram quam ad consultationem tuæ fraterni-

1. q. 1. Hi  
qui bap-  
tisma.

1. q. 1. Hanc  
regulam.

Ephes. 4.